Opuscula

PROMULGATIO
Legum XII. Tabularum,

doctrinâ & opere
Per *Perillustrem Clarissimum & Admodùm Reverendum Dominum,*

D. M. CASIMIRUM JARMUNDOWICZ,

Juris Utriusq; LICENTIATUM & PROFESSOREM, Ecclesiarum Collegiatarum, SS. OO. CANONICUM, Ilcusiensis DECANUM, in Ecclesia Cathedrali CONCIONATOREM Ordinarium, Consistorii Generalis Cracoviensis ASSESSOREM

Practicatarum,

dum in Ecclesia Collegiata Sanctorum Omnium,
à CELSISSIMO PRINCIPE, ILLUSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO

D. ANDREA STANISLAO KOSTKA
COMITE in ZAŁUSKIE
ZAŁUSKI,

EPISCOPO Cracoviensi, DUCE Severiæ, EQUITE Aquilæ Albæ, Universitatis Cracoviensis CANCELLARIO Faventissimo,
insignia verò conferente
Perillustri Clarissimo & Admodùm Reverendo Domino, D.

M. ADALBERTO MICINSKI,

Juris Utriusq; DOCTORE & PROFESSORE. Ecclesiarum, Collegiatæ SS. OO. CUSTODE, Parochialium in Luborzyca & Koniusza PRÆPOSITO, Facultatis Juridicæ DECANO,
favente Illustrissimorum Hospitum & Academici Senatûs Coronâ,

Juris Utriusque Doctor

ritu solenni renuntiaretur,
in argumentum propensissimi affectûs votiq; gratulatorii,
à M. ANDREA LIPIEWICZ, Philosophiæ Doctore, Matheseos & Scholæ Rhetorices Professore,
Oratoriô eloquiô perenni memoriæ

PUBLICATA.

Annô 1748. *Quô Lex scripta commutata est à CHRISTO in Evangelium.* Lib. 6. Const: Apost: cap: 23. Die Jovis 28. Mensis Martii.

Cracoviæ Typis Collegii Majoris Universitatis.

Legem neq; hominum ingeniis excogitatam, neq; ſcitum aliquod eße populorum, ſed æternum quiddam, quod univerſum Mundum regeret imperandi, prohibendivè ſapientiâ.

Cic: Lib: 2. de Leg: n. 22.

Cùm itaq; nihil tam ſtudioſum in omnibus rebus invenitur, quàm Legum Authoritas; quæ & humamanas & Divinas res bene diſponit: reperimus omnem legum tramitem, qui ab Urbe Roma condita, & Romuleis deſcendit temporibus.

l. DEO Authore. ¶ Cùm itaq; C. de Veter: Jur. enucl:

Vir bonus eſt, quis?
Qui conſulta Patrum, qui leges, juraq; ſervat.

Horat: lib. 1. Epiſt: 16tâ ad Quinctium.

Qui juris nodos Legumq; ænigmata ſolvat.

Juven.

PROMULGATIO
Legum XII. Tabularum.
LEX I.

Separatim nemo habeſſit Deos, neve novos, ſive advenas, nisì publicè adſcitos privatim colunto. Cic: lib: 2. de Leg:

Legem hanc
in duabus Tabulis Moyſis fundatam,
Tuas mentis præclaras dotes animi conſpicuas virtutes complectentẽ,
Perilluſtris Clariſſime & Admodùm Reverende Domine
Juris Vtriusq; Neo-Doctor,
perennanti omnium memoriæ,
ceu Lydio Lapidi propensô calamô exoptans imprimere:
incidi in Rubricam,
de Summa TRINITATE & Fide Catholica.
Linquite Iovis Fanum ſacri Flamines,
ubi ſacrilego Thure
aut levigatus è rupe, aut exciſus è trunco adorabatur in Ara DEUS;
cedite victimas, lunate genua, ipſas facite effumare acerras,
& ſacros quà prece, quà thure poteſtis,
Vero Numini exhibete honores.
Idea Vobis CASIMIRVS
Orthodoxîs & Catholicîs Parentibûs natus,
quibus in tali Religione verſari (imò & mori) *quam D. PETRUM tradidiſſe Romanis,*
Religio usq; adhuc ab ipſo inſinuata declarat, (a)
eadem mens & idem animus erat.
Simul ille cum luce hac Lumen de Lumine aſpexit,
pro cibo Sal Sapientiæ & Luſtrales Fontes habuit,
pro lacte pietatem ſuxit.
Impietatem rejectam, vitia damnata, ſcelera anathematizata,
pariter ille rejecit, damnavit, anathematizavit:
& quod ſanctum eſt dilexit, quod Divinum coluit, quod virtuoſum ab infantia amplexus.
Nactus pro Fundamento CHRISTVM, pro Baſi Fidem,
& ſuperædificium boni operis (b) ſurrexit;
in quo ſinè Fidei Lumine videri,
ſinè virtutum ſplendore æſtimari, ſinè cordis candore commendari,
ſinè *ſcientia pietatiu, quæ eſt noſſe legem, intelligere Prophetas, Evangeliũ credere, apoſtolos non ignorare.* (c)
recuſavit laudari CASIMIRUS.
Undis Caſtaliis Fontem Aquæ ſalientis in vitam æternam,
Phæbo Scholaſtico Lucem Inacceſſibilem,
amori ſapientiæ Charitatem DEI prætulit,
ſciens bene: quia *inter claras ſapientia laudes puriore luce tanquam aliquod ſydus irradiat,*
quod amore Fidei (d) ſplendet

(a) l. 1. C. de Summ: Trinit: & Fid: Cathol: (b) *can: cùm Paulus. 1. q. 1.* (c) *can: ſi quis, diſt: 37.*
(d) *l. Inter claras, C. de Summ: Trinit: & Fide Cathol:*

LEX II.

Ritus Familiæ Patrumq; servanto. Modest: in l. 1. ff. de Rit. Nupt. & Cic: lib: 2. de Leg.

Degener Aquilæ Pullus,
qui Phæbum irretortâ non intuetur pupillâ:
non Phænix, qui extra Arabiam nidificat.
Hector pro Troja, Achilles pro Græcia Patria sua pugnavit,
Curtius pro Roma:
Phäëton flammâ extinctus,
quia Paternum in regendis Phlegontibus non servavit ritum.
sic est: *non decet à Capite membra discedere.* (e)
quos Pater Æneas & Avunculus reliquit Hector,
hos servant Ascanii mores,
Fecisti sic disponente Lege
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine
Juris Vtriusq; Neo-Doctor,
mores, quos à Patre Tuo derivavisti, ad unguem servâsti.
Parens Tuus Dilectissimus,
sæculô suô par Galeno,
Æsculapios in arte sua si non anteivit, verè sibi æquales effecit.
Quid Illum latuit, quid effugit, quid gloriosum non monstravit?
secreta naturæ novit optimè, arcana penetravit prudentissimè,
abdita rerum investigavit solertissimè.
Unde animum ejus æstimabant multùm, ponderabant plurimùm
JABŁONOVII, KONIECPOLSCII, KORYCINII, BIDZINII,
qui Lydii Lapides Illius qualitatum fuerant.
Tu Paternarum Dotum Hæres ex Asse,
quas à Majoribus didicisti, servas diligentissimè:
quas à Parente accepisti custodis virtutes vigilantissimè:
ut si ex vestigio Pantheram, ex voce volucrem,
Paternas virtutes ex Te liceat conjicere.
Imò & Fratris Tui Dignissimi
Perillustris olim & Admodùm Reverendi Domini
MATHÆI JARMUNDOWICZ,
Scholastici Białoczovienfis, Curati in Niedzwiedz,
virtutum in Te exarâsti characteres.
Ardebat Cor Ejus pietate erga Superos, zelô erga honorem DEI,
amore erga Sponsam suam, quam de fundamentis erexit, ære adornavit,
censibûs dotavit, juribûs vindicatis ampliavit;
Tibi idem zelus, nec animus dispar, ivit in Coronam gloriæ
Fratri Tuo Germano STANISLAO,
& ANNÆ STANISZEVIÆ Sorori Tuæ,
quibus Paternarum virtutum & morum, factus es
Idea & exemplar.

(e) *can: Non decet. dist: 12.*

LEX III.

Qui Coronam parit virtutis ergo arguitor, ipsiq; sinè fraude imposita esto. Plin: lib: 21. cap. 3. & Cic: 2. de Leg.

Non paradoxum

Coronas etiam generari posse.

Nempe Honor ex quibus crescit, sua semina habet, gloriosa gesta & magnitudinem factorum.

Qui navim Reipublicæ in naufragio, Patriam in bellorũ salvârunt incendio, illos Obsidionales, Navales, Murales, peperisse sibi Coronas vidit Antiquitas.

Sic Hercules inter astra relatus, quia Monstrorum Victor: sic ad Cannas desponsârunt gloriæ, facta Heroica Annibalem.

Virtus gloriæ Parens, nectere & Tibi visa est Coronam

Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine

Juris Vtriusq; Neo-Doctor,

cujus mens erudita, animus sapiens immortalium operum Architectus Rhodiîs Colossîs ivit celsiùs, stetitque in auge honoris.

Palladi ùt nomen dedisti, duxit Te vestigiîs, sudore potiùs cavatîs, quàm extrà nitentibûs, cùm jam tunc ad Majorum exempla animum composuisses, ubi lux genuina virtutis, non vana coruscatio aut fulgur.

Prætexta scientiæ Tuæ, incidit in eam ætatem, quæ Summos in Academia Viros usq; ad invidiam protulerat, quorum animus transierat in Te spiraculô quodam Magneticô, ut quòcunq; Te seu studii seu gloriæ cursus dirigeret: ubiq; probitatis & purioris conscientiæ respiceres Cynosuram.

Calamus erat Tibi radius, fons luminis pectus: tersissimus oris & animi candor fecit, ut per Hippocrenen, Svadam, Peripatum omnem usq; ad Doctoratûs in Utroq; Jure Zenit Te quoq; sequeretur sapientia.

Pòëta, Orator, Philosophus, Juris DOCTOR, claritudinè Tua major, qui sub umbra & cortina modestiæ revelari meruisti, quàm fueris in luce erudita profundus.

Alma Mater Universitas

sciens: quòd virtutum præmia tribui merentibus convenit, (f) virtutem eruditam Tuam binâ in Philosophia coronavit laureâ: sub qua excellentiam dotum Tuarum explicari pulcherrimè viderunt mentium tersissimæ pupillæ, & inviderunt, quia totus in docendo facilis, in explicando clarus, in scribendo acutus, in argumentando subtilis, formatôq; ad animorum collyria geniô eminebas felix.

(f) l. *Et Virtutum*, C. *de Statuis & Imagin:*

LEX IV.

Juſsus & populi ſuffragia ſunto. Liv: lib. 7.

Non vobis aratra boves, non vobis fertis vellera oves,
argumentoſæ non vobis mellificatis apes:
in aliorum aratis meſſem, in Principum purpuras divite creſcitis lana,
ad communes uſus ſuavem colligitis Hymettum.
Etenim ſic lege diſpoſitum naturæ,
Sol omnibus luceat, lux in candelabro poſita conſumatur, modò aliis inſerviat,
fontes ad vota omnium fluant,
quos hauriendo gratitudinis ergò coronabat antiquitas
Talem Te Orbi Literario dedêre Cœli
Perilluſtris Clariſſime & Admodùm Reverende Domine

Juris Vtriusq; Neo-Doctor,

cujus virtus quaſi publicum & privatum jus,
& ſtatui literariæ Reipublicæ, & omnium utilitati conſecrata, (g)
jam bonum promovere publicum,
jam ad communes omnium uſus extendi curabat.
Vnde expleviſti Legem hanc in Te,
dum Voluntati parendo Majorum, nutibus obtemperando Superiorũ
ſub Majoris Poloniæ iviſti Polum,
virtute grandis, animô ingens, mente ſublimis:
ubi decenniô in labore Academico PROFESSOR
docuiſti quod virtuoſum, explicuiſti quod utile,
impreſſiſti cordibus omnium quod honeſtum.
In Vinea Lubranſciana indefeſſus Operarius,
laborabas ſed non Tibi, inutiles eradicabas frutices, ſed aliorum utilitati:
ſpinas ſuffocantes diligentiam evellebas, ſed ad omnium profectum.
Sicq; plantâſti Oratorios flores, feraces eruditionis inſeviſti palmites,
amœnos bonorum morum diſſeminâſti fructus:
ut Flos Juventutis ſelectiſſimus, Eccleſiæ in decus,
Patriæ in ornamentum, Familiis in Coronam votorum
florere amæniùs, vernare ſuaviùs, exereſcere pulchriùs poſſet.
Imò in LUBRANSCIANA Pinu
Phœnices Rhetorum nidificare feciſti,
& ipſas ingeniorum Aquilas Phœbum Scholaſticum intuentes habitare.
Dotes animi Tui in omnium uſus effuſas æſtimabat plurimùm
Illuſtriſſimus olim & Excellentiſſimus Dominus,

D. VLADISLAVS RADOMICKI,

Palatinus Poſnanienſis, &c.
& Illuſtriſſimam Prolem ſuam Palatinidam Poſnanienſem,
ut à Te majus eruditionis pretium deſumeret,
pretioſo ingenii Tui concredidit ærario.
Plures effuſas in omnes virtutes Tuas
exigui foliorum non comprehendunt margines,
quia non tam hominibus vel lapſis, vel circumſcriptis ſubvenit Prætor (h)
quàm Tu proſtratos erigis, infirmos conſolidas, nutantes corroboras,
jura Eccleſiarum vindicando, immunitates Communitatum tuendo:
rarusq; quem in viam planam æqui & juſti non deduceres.

LEX V.

(g) *l. Iuri. ff. de Iuſt: & Iur.* (h) *l. Vtilitas. ff. de in integrum reſtit:*

LEX V.

Qui frugi est excantassit. l. 1. ff. de Extraordin. cognit: & Plin: lib. *28*. cap: *3*.

Depromitur etiam de visceribus terræ aurum,
ut in Principum elaboretur Diademata:
de Concha eruitur Unio
ut Regum appretiet Coronas.
qui Patriæ prosit, etiam ultra thulen Orbis quæritur Civis:
virtus enim jussibus & populi suffragiis sacrata latere nequit.
Sub nube modestiæ TUÆ occultari non poteras
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine
Juris Vtriusque Neo-Doctor,
cuius animum ad utilitatem boni Communis natum
videns Alma Mater Vniversitas,
ex aula Illustrissimi olim Palatini Posnaniensis evocavit TE,
qui ardua facilitare, perplexa resolvere, quævis occurrentia amovere posses.
Inter Professores Domus Minoris cooptatus
meritissimos honores Tuos adauxêre
præclara summorum Virorum de TE in Athenæo Nostro Judicia,
quantum pro integritate Literarum, pro salute privilegiorum
assisti, tulisti, sudâsti.
Insomnes ducendæ erant cum Cleanthe noctes, ducebas:
vigilandum erat pro Bono Communi cum Antipatro, vigilabas.
Sufferenda ingens curarum moles cum Atlante, sufferebas:
consulebas, vigilabas, laborabas,
tot ardua difficultatum, tot incommoda viarum, tot detrimenta vitæ & laborum onera
sustinendo fortiter, sufferendo patienter, tolerando constanter.
In Bono Universitatis promovendo solicitissimus,
in conservandis Juribus attentissimus,
in defendenda illorum integritate studiosissimus eras:
testantur Tribunalia Regni
quomodo pro Juribus Academiæ, ùt olim Solon apud Athenienses obstabas;
testantur Consistoria, Fora, Prætoria,
si neglecta non vindicâsti, obmortua non resuscitâsti jura,
& quæ succubuerant quondam si non erexisti Leges.
Laborem tantum pensando Alma Mater Vniversitas,
ad Decanalem TE *excantavit*, an veriùs evocavit Purpuram,
munus enim sustinenti honor deferri debet (1.)
frugi & utilis ad Coronam evocandus:
cui à virtute Tua venustatem majorem, à labore apparatum elegantiorem,
à meritis præstantiorem ornatum adjecisti.
Sed invidit TE Domui Minori
Jure consultorum Princeps Astræa, & Principum Ocellus;
& non sinè Stoæ Suadæq; cordolio
brevi TE Sydus Literarum & animi eruditi gemmam Coronæ Doctorali inseruit.
In hoc Sacrario Iuris & Senaculo Iustitiæ
nihil tibi arcanum, quod acumine ingenii non penetrares,
nihil velamine tectum quod non illustrares
quasi in Legum & Canonum intelligentiam, speculatione, praxi, & labore
Delphos oraculorum ubiq; Tecum circumferres.

LEX

(1) *l. Honorem. ff. de Muner: & Honor:*

LEX VI.

Sol occasus suprema tempestas esto, Ex Agell: lib: 17, cap: 2. Varr: lib: 5. de Ling: Lat:

Magnorum Virorum Occasus

nubem doloris parit,
Græcia Achillem, Ilium in cinere Hectorem,
Roma sæculis lacrymabatur Scipionem,
splendore vultûs illorum privatæ.
Evocâsti in parem doloris Scenam
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine

Juris Vtriusque Neo-Doctor,

corda & desideria omnium,
ut quem in sufferendis laboribus parem Herculi,
in Cursu Scientifico robustum Athletam,
Sub mole ingentium curarum non absimilem Atlanti habuerunt,
eundem TE alias commigrantem in oras viderunt.
Ivisti iterum in Majorem Poloniam,
sed non sinè comite multorum Tui expectatione,
ubi vix è voto Universitatis Nostræ stetisti
Dignissimus Collegii Lubransciani Director,
factus es meritorum Tuorum major occasio & longior Panegyris.
Mehercle spectatissima hæc Muneris Tui Provincia,
in qua Professorem antea, postea Directorem lux Te publica vidit:
& suavem in regendo potestatem,
studiosam Scholasticæ disciplinæ curam,
Sollicitum Professoralis laboris amorem experta,
quo mentis candore, qua animi teneritudine, qua cordis sinceritate
ferebaris erga studia, æstuabas erga Professores, ardebas erga singulos.
Consistorii Posnaniensis Assessor,
ad Illius Themidis oracula, ad Responsa Juris accessisti ingeniorum Phœbus,
& quàm fueris eruditione solidus, sensu profundus, explicatione planus,
vota toties in partem æqui & justi data probârunt.
Librorum per Diæcesim Synodalis Censor,
ne errores irruerent animadvertebas prudentissime,
ne contra fas & æquum fieret providebas circumspectissimè,
ut virtutem insepultam erigeres, curabas diligentissimè.
Domestica si loquentur de TE
erit laudum Tuarum ingens acervus & cumulus.
In illo Lubransciano Musæo
Juri Canonico tradendo invigilabas sinè intermissione,
explanando Juri Civili incumbebas sinè respirio;
& quanquam maligni fortunæ casus mentem perturbabant Tuam,
studio tamen promovendo attendebas sine interruptione.
Premebat TE adversa valetudo, tu omnium curabas salutem,
quamvis viribûs lassus, in supportando Bono communi non concidebas animo.
ad ruinam vergentia restaurâsti, collapsa erexisti, & varia supellectili adornâsti:
Etsi taceret calamus parcendo modestiæ, quæ egisti,
extollunt Nomen Tuum Typographicæ Columnæ, quas fermè radicitus erexisti:
Typi, quos de novo comparâsti, perennem Tibi gratitudinem scribunt,
prela, quæ construxisti, memoriam Tuam posteritati imprimunt,
quàm fueris sollicitus Illius Boni communis DIRECTOR.
Alma Mater Universitas
ut Te Gemmam inclusam auro ad Thesaurum suum rehabere posset, ad exhibendũ egit. (l)

(l) *l Gemma. ff. ad exhibendum.*

LEX

LEX VII.

Paterfamilias utì legassit, ita jus esto. Paulus in l. Sæpe 53. ff. de Verb: Signif: & Iustin: in pr. Tit: Instin: de Leg: Falcid.

Arcana rerum scrutari,
aut secreta naturæ nosse, Pliniis tantùm concessum:
Mentes Deorum exequi
solius Mercurii opus;
liberam mortalium voluntatem explere,
ipsis Divinis Platonibus relictum.
Ita est;
Magnæ animæ Viris nonnisì concreduntur Illustribus,
Alexander Reges æmulos poscit.
Magnum animum Tuum
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine
Juris Vtriusq; Neo-Doctor,
in arduis probatum, in difficillimis expertum,
in perplexissimis semper constantem viderunt
Illustres olim & Admodùm Reverendi Domini
M. ADALBERTUS PŁACZKOWSKI,
Philosophiæ Doctor, Collega Minor,
MATTHÆUS JARMUNDOWICZ,
Scholasticus Białoczoviensis, Curatus in Niedzwiedź, Frater Tuus,
JOANNES MACZUTKIEWICZ,
Sanctorum Omnium Canonicus, Curatus in Melsztyn,
JOANNES KOBRZYNSKI, Sanctorum Omnium Canonicus,
& mentes suas Tuo Imperio, Arbitria sua Tuo Iudicio,
ultimas voluntates suas Tuæ dispositioni subdiderunt.
Videre erat, quomodo legem hanc observâsti:
quomodò desideria illorum satiâsti, amori satisfecisti, vota explevisti singulorum;
quod Divinum erat reddidisti, quod proximo dispositum reposuisti,
quod ad curam animarum ordinatum executus es.
Verus FideiCommissarius,
appromissam servâsti fidem, nexus custodivisti omnes,
clausulas non prætermisisti quasvis.
Optimus Executor,
sciens: quòd ultima defuncti voluntas exequenda est, (k)
unde adhibuisti omnem curam, admovisti omnem solicitudinem,
adjecisti omnem diligentiam,
ne suffragiis defraudarentur, & piis subsidiis illorum destituerentur animæ,
sicq; etiâm in cineribus Famam Nominum eorum reddidisti
Superstitem.

C LEX

(k) *can. Vltima 13. q. 2.*

LEX VIII.

Ut si Vicini inter se jurgant finibus regundis, Arbitros tres darent, illisq; totum rei jus arbitriumq; permitterent. Cic. lib. 4. de Rep. & lib. 1. de Leg.

Tridente opus,
ut insolentem Neptuni compescas licentiam;
Clavâ Herculis,
ut Erymanthæos Apros & Hydram septicipem domes.
Aliás nisì trisulca Iovis vibrentur fulmina,
consurgent contra Cælum Gigantes,
& totam contra Superos facient Cyclopes ardere Vulcaniam;
nisi Mediatores pacis habeat Orbis
Regna in favillam, Urbes in rudera, Civitates in desolationem ibunt,
nisi Arbitri Juris & hominis adsint,
vitiorum emendatricem, Commendatricemq; virtutum (1)
quis reverebitur legem.
Talem Te Cælestis dedit Astræa
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine
Juris Vtriusq; Neo-Doctor,
Iuris sapientissimum Arbitrum,
ut accensa odia extingueres, lites æstuantes sopires,
animorum dissensiones compesceres.
Unde vix ad hoc Justinianeum processisti Culmen,
concesserè sæpius exquisitæ prudentiæ Tuæ Commissa
tot Commissionum ardua;
in quibus versatus es pari dexteritate & animi fide,
decretis sapiens, justitiâ incorruptus,
& ne jus abiret in pessum, leges vacillarent, scita ruerent:
Tu Arbiter prudentissimus animadvertebas solertissimè.
Quot dissolutos non composuisti animos,
divisa non univisti corda, alienas non conciliasti mentes?
testantur Acta, jam à Regia Majestate deputari,
indicant Rhotuli jam à Sacra Nuntiatura
Te toties & finibus regundis & familiæ erciscundæ
Commissarium & Arbitrum delegari sapientissimum.
Agebas Arbitrum;
sed ultra petita partis & comprehensa non processisti: (1)
quod exterminandum erat, exterminabas:
quod eliminandum, eliminabas: quod eradicandum eradicabas:
Tu ipse Idea & exemplar morum,
Quidquid decidisti, erat ad mentem Canonum:
quidquid conclusisti, erat secundùm dispositionem legis,
quidquid definivisti, regulam æqui & justi non excessit:
Ipse Canon & Regula vitæ.
Sicq; triumphabat innocentia, virtuti non defuit patrocinium,
nullus erat sceleri locus,
Te Assessore, Te Arbitro prudentissimo,
ad Justitiæ Bilancem sedente.

(1) *c. Cùm dilectus. de Arbitr.*

LEX IX.

Vù lingva nuncupassit ita jus esto. Cic: lib: 1. de Oratore,

Etiam lingva in legem abit:

quæ Regna triumphat, Cives vincit, populos subdit, condit & Gentibus jura;
Sic Pompilius, Cato, Cicero, quidquid dixerunt lex erat,
Sic Cynea Eloquentiâ Vrbes Pyrrho tributarias fecit.
Vt Tua facundia corda triumpharet, animos vinceret,
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine

Juris Vtriusq; Neo-Doctor,

Lege continui laboris & jure sedulæ applicationis effectum.
Attica suada os Tibi floridum & calamum fecerat rosis plusquam Hyblæis vernantem,
cujus decore & suavi fragrantiâ
Majorem Minoremve Poloniam replevisti.
Quinquennis Tylicianus ORATOR
quantum Nobilissimæ Juventuti ex Floribus Oratoriis connexuisti apparatum:
ex Oratoriis ignibus meridiem eruditionis accendisti,
ex Fontibus Rhetoricis verborum collegisti uniones, ad animorum Coronam.
Si Scripturam Authenticam Orbis Literarius non videret, ad exemplaria Tua nil facere posset (m)
quæ dum magnô animi desideriô fovet
miratur, quàm Tibi felix calamus utroq; Stylo acutus.
SORS PALATINALIS HONORIS.
quæ olim supra MATHIAM RADOMICKI, Palatinum Posnaniensem cecidit,
dum Oratoriâ Formâ demonstraretur à Te,
capite Delphos gerere, ore oracula loqui credebaris.
Cujus dum iterum dolenda fata *Libro Tristium*
veluti alter Ovidius, non jam ad Pontem Euxinum, sed ad flumina lacrymarum deflêsti,
visus es Fontes Oratorios congregâsse in unum.
Trajanum post Nervam in primo aditu Majoris Poloniæ Præfecturæ
JOANNEM PRZEBENDOWSKI Thesaurarium Regni, officioso dum adorares cultu,
Navalem Coronam in obtinenda hacce Generalatûs Majoris Poloniæ Præfectura
LVDOVICO SZOŁDRSKI solenni cum plausu dum conferres,
cujus non attraxisti corda? qui etiam Reginam Eloquentiam in comitatum duxisti.
AGNVS SZANIAVIVS, Lucerna Gloriæ Tuæ,
RASTRA LIPSCIANA super Vaticani Collibus elevata, messem Tibi Honoris collegêre,
Serenissimi ac Invictissimi Regis Poloniarum feliciter Regnantis AVGVSTI III.
Panegyrico cultu adorata Majestas, feliciorem calami plausum comparavit.
Fundamentum de cordis lapidibus GASPARO MODLIBOWSKI
olim *Pocillatori Vschovensi* nunc *Castellano Mederecensi* cum SOPHIA de *Radomicciis*,
& Aureum Sæculum DEMETRIO JABŁONOWSKI cum CATHARINA de SZEMBECIIS
in actu tædiferi Hymenæi Polono contructa Idiomate, venustiorem Tuam indicârunt Hyblam.
Navigium felix ADAMO PONINSKI, Episcopo Aranensi, Suffraganeo Posnaniensi,
RATIONALE PONTIFICUM, FRANCISCO KAZNOWSKI,
EPISCOPO *Domitiopolitano*, SVFFRAGANEO & OFFICIALI *Posnaniensi*,
Protocollum virtutum & meritorum,
JOANNI ZYWERT, Canonico Sendomi: Consistorii Gen: Crac: Actuario Notario,
Paragraphus JOANNI KRALL, Canonico Cathedrali, nunc Judici Surrogato Posn:
Fundatio Ecclesiæ Landensis, bis trecentîs sæculîs firmata
ANTONIO ŁUKOMSKI, ABBATI Landensi,
áliiq, in lucem publicam tui editi labores monstrârunt,
quomodo meritîs & scriptîs Tuîs omnem implêsti paginam,
qui admirabili felicitate & gloriâ, & in Cathedra Magnus PROFESSOR
& in Rostris VERBI DIVINI Ecclesiastes facundus.
Vnde hos labores, hos Oratorios fontes coronavit in Te
ALMA MATER UNIVERSITAS,
dum Tibi in Jure Vtroq; Licentiaturæ contulit gradum:
quia Illi tuam docendi peritiam, facundiam dicendi, interpretandi subtilitatem,
cætu amplissimo id judicante placuit honorari. [n)

LEX.

(m) *Decret: Greg: lib: 2. tit: 22. de Fid: Instrum:* (n) *l. Grammaticos. C. de Professor.*

LEX X,

Assiduô Vindex assiduus esto. Ex Agell: lib. 16. cap. 10.

Nescit virtus uno limite claudi,
quæ cum Hercule ultra Gaditanas Columnas,
cum Alexandro ultra Thulen Orbis processit:
quasi parum illi esset ad gloriam tingi hostili tabo,
ni totum Rubiconem ebibat,
frangere Alpium juga, & quomodò æmula Romæ Carthago ruat, ignorare,
ad Capitolium currere, & in medio detineri cursu.
Nescit terminale non plus ultra labor & virtus Tua
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine
Juris Vtriusq; Neo-Doctor,
quæ Cælorum imitatur naturam,
semper in motu & nunquam subsistit:
citiusq; Mauritanus Atlas gemeret sub Sphæra,
Hercules enervaretur sub pondere,
& Virtus Tua sub mole laborum non fatisceret.
Quà cæpisti, ivisti per ardua curarum,
unde vigilabas assiduò, laborabas continuò ad porticū laboris excubabas frequenter,
verrebasq; tam diu pulverem eruditum,
donec Tibi in Olympum tumesceret gloriæ,
& terram Literariam adusq; ingenii excolebas vomere,
donec Tibi messem auream proferret honoris.
Præses Judiciorum Jurisprudentia
ad Pantheon suum Juridicum postquam Te invitâsset,
quid non egisti?
nulla Protocolla, quæ non lustrâsses: nulla Acta, quæ non revidisses:
nulla volumina Legum, quæ ignorâsses.
Extinxit non semel vesper diem,
& animus Tuus in revolvendis Actis ferventissimus ardebat,
radiabant Cælorum faces,
etiam ad invidiam mens Tua ad Cleanthis exæstuabat lychnum,
& nunquam Tibi Phæbus eruditus occidere visus,
qui etiam Noctes Atticas in diem vertisti.
Quare Acta, quæ aliorum latebant ingenium, tu nota faciebas,
quæ imperceptibilia erant, tu facilitabas,
quæ ab aliis neglecta, Tu sublevabas
Assiduò vindex assiduus.
Mirum est inter curas maximas
quàm Tibi animus ingens & calamus felix:
una manus pro centenis Literatorum sufficit,
Solaq; exhausit opus Sapientiæ, quod sæcula ferret;
unum pectus & pro omnium curis immortalibus erat,
Delphos secum & Athenas portando.
Plura scriberet calamus,
ni priorem lanam retexere videretur.

LEX

LEX XI.

Si vis Vocationi fuat, igitur capito antestari. Cic: lib: 3. Offic: Agell: lib: 7. cap: 18.

Majestatem Lucis Astra indicant,
fortitudinis ALEXANDRI Oriens & Occidens testes,
Epaminondam Thebæ, Solonem Athenæ demonstrârunt Orbi.
Etenim ab incude & malleo adamas, ab igne aurum,
virtus à vulgi æstimatione pondus & pretium sumit.
Magnitudinis Gestorum Tuorum,
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine
Juris Vtriusq; Neo-Doctor,
à laboribus commendabilis, à virtutibus laudabilis,
à meritis gloriosæ satis
Oculatissimi Testes
Domus Minor, quam quondam Dignissimus inhabitabas PROFESSOR,
& Justitiæ Augustale, Astreæ Pantheon,
quod emeritissimus incolis Pater.
Quis non vidit?
quomodo Vocationi ad Domum Minorem correspondebas,
agebas laudabiliter, quod Professorem decebat:
explebas honorificè, quod concernebat laborem:
exequebaris gloriosè, quod ad utilitatem omnium spectabat.
Sed hæc rem ipsam dicunt,
non Panegyrim modestiæ Tuæ inimicam requirunt;
quæ intus composita satis habet gloriæ,
quòd respondeat Vocationi & Conscientiæ.
Vir in Cathedra Juridica
decumano labore & excellentibûs meritîs
prisca Nobis Jure Consultorum repræsentas decora:
etenim ingenii Tui claritudo, quidquid Sydereum habet
ab illo accepit Sole
in quo versatus es verè Filius lucis,
quia Filius Iagellonicæ Vniversitatis,
quæ tota in luce posita, in Sede Regni, in facie Orbis Poloni
Serenissimorum Regum Poloniæ Filia conspicitur.
Placuit in Te augustæ Scientiarum Jurisprudentiæ
æquanimitas & mentis illibatæ candor,
qui Iustitiæ bilancem manu immota, fide incorrupta tenes,
pro Illa acriùs quàm olim Solon pro Athenis decertans.
Medullam animi Tui eruditi
& arcanos magni Judicii sensus scrutata est
Alma Mater Vniversitas,
ad Coronam in Jure utroq; DOCTORALEM
cujus obtinendæ Licentiam nuper honorificè recepisti.
Te hodie invitat,
labores Tuos, merita, Tua, virtutem Tuam,
Vocationi & professioni suæ satisfacientem
Vittâ præcinctura immortali

LEX XII.

Ut jusrisjurandi ad fidem adstringendam præcipua vis esset. Cic. lib. 3. Offic. Agell. lib. 7. cap. 18.

Annibal contra Romam, Macedo contra Darium
quidquid gloriosi gesserunt, jurejurandô effecêre.
Hic Philippi obstrictus votô triumphavit Persas,
ille Amilcaris jusjurandum servando,
adhuc in cunis contra Romam caperavit frontem.
Etenim indicant Sacra, indicant fædera,
quibûs etiam cum hoste devincitur fides,
nulla de re diligentiùs, quàm de Jurejurando judicâsse gentes. (o)
Legem hanc explevisti in Te
Perillustris Clarissime & Admodùm Reverende Domine

Juris Vtriusq; Neo-Doctor,

Iurâsti
Fidem Orthodoxam integram inviolatamq; servare:
& Apostolicas Traditiones amplexus es,
Sacros Canones & Æcumenica Concilia indubitanter recepisti,
Principi Apostolorum veram obedientiam professus.
Obstrinxisti Te
fideliter pro Bono Orbis Literarii laborâsse:
& laborabas in motu continuus, in labore non deficiens,
in Scholastico opere non fatigatus.
Spopondisti constantî animô
Universitatis promovere Bonum, & promovebas:
pro Juribus, obstabas fortiter,
in Causis boni Communis promovendis plurima ardua ferebas constanter,
immunitates, privilegia, conservabas iuviolabiliter,
processistiq; Majorum Tuorum passu ad laureas eruditas,
nempe à Minoribus ad Majores perveniendo. (p)
Vnde si juramenti hæc causa est, quia omnis qui jurat ad hoc jurat, ut verum eloquatur. (q)
Tibi maxima vis
pro veritate pugnare, pro justitia certare, pro æquitate militare.
Quare obstrinxit se Tibi & Doctoralis in Jure Utroq; honor,
ut Te pro tantis laboribus & meritis, suadente id Justitiâ Distributivâ coronet.
Et dum omnibûs pro Te perorantibûs votis
fis ad Oracula Iuris Doctor,
cunctorum expectatione ad hanc sublimaris Cathedram:
prehende, quam Tibi labor illibatâ, quia Divæ Themidis manu
porrigit lauream,
ego cum Doctoralibus insigniis votorum Tibi consigno Coronam:
ut ad Themidis Polonæ immortalem gloriam
& Orbis literati Columen
clarissimus inter Iureconsultos Honor
benedictione Divina æternùm Te foveat,
à fatorumq; iniqua lege immunem Te Nobis servet,
AVTHOR GRATIÆ
&
ÆTERNUS LEGISLATOR

(o) *Cic: lib. 3. Offic:* (p) *l. ut gradatim. ff. de Muner: & Honor:* (q) *can: Iuramenti. 22. q. 5.*

